ORDINIS MEDICI IENENSIS DECANVS

IVSTVS CHRISTIANVS LODER, D.

SOLEMNIA INAVGVRALIA

DOCTISSIMORVM MEDICINAE CANDIDATORVM

IACOBI LVDOVICI GEBHARDT,

WETTERAVIENSIS

ET

GEORGII FRIDERICI CHRISTIANI FVCHS

IENENSIS

INDICIT.

Praemittitur commentationis *de vaginae vteri procidentia,* particula I.

IENAE

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

10.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE





Vaginae vteri relaxationem eiusque prolapſum, tum in virginibus, tum in feminis quae cum viro commercium habuerunt, tum quoque in grauidis et puerperis non raro obſeruari, iis inprimis, qui artem obſtetriciam ipſi exercent, cognitum eſt; videtur tamen hic morbus in obſtetriciorum ſcriptorum libris non ita expeditus eſſe, vt ſuperflua ſit ſuccincta eius hiſtoria obſeruationibus ſuperſtructa.

Eſt autem vaginae ſtructura ea, vt praeter vaſa et neruea filamenta numeroſa, quae ipſi inſunt, praecipue ex tela



cellulofa, ftipata, dilatabili, quae externe, in fuperiori vaginae extremitate, obtegitur peritonaei continuatione, in inferiori vero extremitate fibris mufcularibus a leuatoribus ani eiusque fphinctere externo profectis inftructa eft. Interiorem vaginae ambitum circumueftit membrana rugofa dilatabilis, laxiore cellulofa tunicae modo defcriptae annexa, epidermidis continuatione manifefte enata.

Haec igitur, quam diximus, rugofa membrana, ob laxiorem fuum cum ipfa vagina nexum, facile relaxatur et prolabitur, adeo, vt, vel tumorem in ipfa vagina efficiat, vel extra labia pudendorum haereat et externe in confpectum veniat. Illud vocamus vaginae relaxationem, fiue prolapfum *incompletum*, hoc vero *completum*, qui, fi tota vaginae membrana rugofa elabitur, *vniuerfalis*, et fi aliqua tantummodo eius pars egreditur, *partialis* nobis audit.

Quum autem tota vaginae tunica interna prolabi nequeat, absque vteri ipfius, cui vagina adhaeret, defcenfu, nec etiam absque vrethrae et ipfius veficae vrinariae quadam diftenfione et dislocatione, fequitur, nullum dari vaginae prolapfum *fimplicem*, nifi partialis fit, et vniuerfalem procidentiam femper effe *complicatam*.

Signa, quibus vaginae prolapfus dignofcitur, ea funt, vt tactus exploratione tumorem in ipfo vaginae pariete, aut vero rugas elongatas et prominentes fentiamus, vteri autem fegmentum inferius in fitu naturali deprehendamus, fi nem-

pe

pe relaxatio vaginae aut prolapſus partialis incompletus et ſimplex adeſt. Idem prolapſus, ſi completus eſt, tactu et viſu facile dignoſcitur: prominet enim extra vaginam ruga aut quaſi plica cutanea, quae, decumbente femina, ſponte retrocedit aut facile reponitur, eadem vero pedibus inſiſtente denuo elabitur et elongatur. In hoc caſu, vt et in priori, ſegmenti vteri inferioris ſitus non a naturali recedit. Differens vero eſt ratio prolapſus vaginae completi et vniuerſalis, in quo tubus cutaneus, farciminis quaſi in modum, e pudendis dependens cernitur. Peruius eſt hic tubus, ſanguini menſtruo effluenti viam praebet, et digitum explorantem ad vteri vſque ſegmentum inferius, quod e naturali ſede delapſum eſt, admittit; reponitur etiam absque difficultate, ſi nimirum non adeſt tumor inflammatorius, qui quo minus id fieri poſſit impediat.

Accidit enim, vel ſola veſtimentorum frictione et irritatione, vel humorum ex quacunque cauſſa affluxu, vel etiam ſub partu, ſi caput infantis in ipſum vaginae prolapſum deſcendit, vt eius moles mirum in modum creſcat. Tum vero non tubum format, ſed corpus pyriforme, duriuſculum, carni crudae ſimillimum, ampliori et inferiori in loco perforatum, ſtylum exploratorium in ipſum ſuum cauum admittens, et ipſius vteri procidentiam quodammodo referens. Hinc quoque factum eſt, vt eiusmodi prolapſus vaginae medicis et chirurgis quibusdam ita impoſuerit, vt eum pro vera vteri procidentia habuerint, cuius rei exempla nonnulla



in obſeruatorum ſcriptis occurrunt *), quem tamen errorem euitabis, ſi ad ea ſigna, quibus vteri procidentia a vaginae prolapſu diſtinguitur, animum conuertas. In illa nimirum tumor, qui e verendis dependet, ſuperne latior et craſſior, inferne autem, vbi perforatus eſt, tenuior atque anguſtior deprehenditur, ſtylusque exploratorius ad latera iſtius tumoris intra pudendorum labia immiſſus libere aſcendit; in hoc vero, tumor ita dependet, vt eius latior pars inferiora, anguſtior autem ſuperiora ſpectet, ſtylusque exploratorius ad latera ipſius intra pudendorum labia immiſſus libere non aſcendat, ſed eam vaginae partem, quae vteri ſegmento inferiori adhaeret, mox offendat. Nec quoque, ſi ad ea, quae ſupra indicauimus, attendas, eiusmodi vaginae prolapſum commutabis cum vteri inuerſione, aut polypo, aut ſarcomate, peculiaribus ſuis ſignis inter ſe diſtinguendis, quae ſingulatim exponere huius loci non eſt.

Ad CAVSSAS prolapſus vaginae in genere ea pertinent, quae tunicam internam ſiue rugoſam vaginae relaxare et prolongare eiusque nexum cum ipſa vagina debiliorem reddere valent. Huc igitur referas fluorum album diuturnum et inueteratum; menſtruorum profuſionem iteratam; ponderis grauioris eleuatio-

*) Vid. IOB. V. MEEKREN, in *obſeruat. medico-chirurg.* cap. 54. WIDMANN in *Ephem. Nat. Cur.* Cent. VIII. obſ. 98. Fuerunt etiam, qui vaginae prolapſum ingentem cultro reſecantes, ipſum vterum ſe abſcidiſſe putarent, iſtasque feminas, vtero licet deſtitutas, concipere et fetum edere nihilominus potuiſſe affirmarent. Conf. HEISTERI *inſtitut. chirurg.* part. II. ſect. V. cap. 158.

tionem et ſuſtentationem; commotiones et niſus corporis vehementiores, quales fiunt ſaltatione, riſu immoderato, lapſu, tuſſi, vomitu rel.; aerumnoſam alui depoſitionem; titillationem libidinoſam digiti immiſſione peractam; coitum nimium; abuſum balneorum calidorum et remediorum emollientium externorum; violentias in difficili partu vel obſtetricis manu vel capite infantis praegrandi vaginae illatas; neglectum a partu decubitum et immodicam greſſionem: quae vero omnia morbum, de quo nobis ſermo eſt, in iis praecipue feminis producunt, quibus peluis ampla eſt, et quae colluuie ſeroſa abundant, corporisque habitu laxo, pituitoſo, ad cachexiam prono laborant.

Sed haec hactenus. Supereſt enim, vt commendemus Clariſſ. Medicinae CANDIDATOS

IACOBVM LVDOVICVM GEBHARDT

WETTERAVIENSEM

et

GEORGIVM FRIDERIC. CHRISTIANVM FVCHS,

IENENSEM

qui quantum in litteras incubuerint, ex ipſo eorum vitae curriculo ſatis iam patet. En igitur vitae hiſtoriam ab ipſis Candidatis relatam!

Ego, Iacobus Ludouicus GEBHARDTVS *Marienbornae in praedio Wetterauienſi die* XXIIdo *Auguſti anni* CIƆIƆCCLII.

lucem



lucem primam adſpexi. Patrem, Henr. Phil. Lud. GEBHARDTVM, *Medicum Fratrum, qui poſtea Ebersdorffiam ſe contulit, cum matre* Anna Dorothea *e gente* BEZOLDIANA, *omni qua decet pietate, adhuc veneror. Parentes iſti cariſſimi nec neglexerunt educationem, quae ſpectat ad religionem Chriſtianam, ſed etiam ad mores et eruditionem. B.* HAGEN, *Prof. Baruthenſis, praeter ceteras diſciplinas, linguam latinam, graecam et gallicam me docuit. Deinde patre optimo duce res pharmaceuticas, et poſt reditum in patriam morbos primum ſanare didici. Cum vero cognitionem meam mactare atque amplificare ſtuderem, lectionibus ordinariis et priuatiſſimis b.* MOLLERI, *medici et chirurgi Fratrum, praecipue chirurgicis interfui. Is enim in huius doctrinae theoria et praxi tanto ardore et ſtudio me erudiuit, quanto celebrare ſatis vix poſſum; cuius etiam ſub auſpicio multa peragere mihi licuit. Septem fere annis hic peractis anno* CIƆIƆCCLXXIV. *Tigurum in Heluetia migraui, vbi* BVRGHARDTVS, *Demonſtrator anatomiae et chirurgiae, locum ammanuenſis et chirurgici et pharmaceutici mihi demandauit vnaque doctrinas, anatomicas, chirurgicas et vinculorum applicandorum mihi tradidit, aegrotos nec minus viſitare me miſit. Vix huius viri probi in me merita collata effari poſſum. Filius eius* BVRGHARDTVS *parenti adiunctus artem obſtetriciam me docuit. Collegia pathologica, phyſiologica et materiam medicam apud Ill.* RAHNIVM *Prof. Med. virum maxime colendum audiui. Cum praeſertim mihi licitum erat, anatomiam excolere, in theatro anotomico Tigurenſi Profector eligebar, colloquio ibi ſolito de* variis amputationis generibus *habito ac peracto. Ceterum in Noſocomiis ibi bene inſtitutis aegros videre et ſanare grata permiſſio data erat. Hinc in patriam re-*

dii

dii ſed iuſſu et beneficio Comitis Henrici xxivmi *tum clementiſſime regnantis Dresdam petii, vt vſum caperem e noſocomiis militum. Quo facto doctrinis medicis et chirurgicis imbutus iterum redii et artem medicam quantum fieri potuit exercui. Denique non poſſum, quin Clar.* Schraderum *Med. Doctorem, Conſiliarium et Archiatrum domus Comitum Ebersdorfianae publice celebrem, qui me innumeris beneficiis, ſumma humanitate et conſilio optimo in aegrotis ſanandis accumulauit benigniſſime, cuius vitam Deus diu incolumen ſervet.*

Petiit nuperrime ab Ordine noſtro ſummos in arte ſalutari honores. Ad examina igitur conſueta admiſſus, bene in iis reſpondit et Ordini noſtro ita ſatisfecit, vt cathedra ei aperiretur, ex qua die x Martii diſſertationem ſuam *hiſtoriam oſteoſteatomatis maxillae feliciter curati*, Praeſide Ill. GRVNERO, Collega noſtro coniunctiſſimo, defendit, praemiisque diligentiae ornatus eſt.

II.

E*go*, Georgius Fridericus Chriſtianus Fuchs, *natus ſum, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo, die decimo nono Auguſti in hac muſarum ſede, patre* Georgio Auguſto *Medicinae et Philoſophiae doctore, matre* Chriſtiana Eliſabetha *ex ſtirpe* Kochiana, *vterque iam dudum inter coelites triumphantes. Hi parentes optimi, et poſt eorum obitum rerum mearum domeſticarum tutores, nempe Ioannes Fridericus* Hirt, *olim antiſtes circuli Ienenſis, nunc antiſtes ſuperior circuli ſaxonici, et pro tempore Chriſtianus Fridericus* Polz, *Profeſſor Philoſophiae Publicus ordinarius, viri omni pietatis cultu a me proſequendi, omnem nauarunt operam, vt non ſolum religionis praeceptis, ſed etiam*

 

litteris imbuerer, qua in re domeſtica inſtitutione vſus ſum, vſque ad annum decimum ſextum aetatis meae. Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto, in numerum ciuium academicorum a Magnifico t. t. Academiae Prorectore, Summe venerabili DANOVIO *receptus ſum. Diſciplinas logicas et metaphyſicas me docuit ſumme venerandus* POLZIVS; *venerabilis* BLASCHE *Profeſſor Theologiae extraordinarius fundamenta ſtyli me docuit; Matheſin puram, Phyſicam theoreticam experimentalem, Chemiam theoretico-experimentalem et hiſtoriam naturalem Illuſtrem* SVCCOVIVM *explicantem audiui. Interfui etiam praelectionibus b.* WALCHII *in hiſtoriam naturalem. In Matheſi applicata et Coſmologia Illuſtris* WIEDEBVRG *me erudiuit. Diſciplinas hiſtoricas* SCHMIDT *b. m. et vir Excellentiſſimus* MVELLER, *quem etiam antiquitates germanicas et Bibliothecae academicae memoratu digna explicantem audiui, me docuerunt. In anatomia b.* NEVBAVERVS *et Vir Experientiſſimus* SCHENKE *me erudierunt, cuius praelectionibus oſteologicis et botanicis etiam interfui. Phyſiologiam me docuerunt, vir Illuſtris* NICOLAI *Facultatis Medicae Senior, cuius Exercitationibus diſputatoriis etiam interfui, et Vir Excellentiſſimus* STARCKE. *Pathologiam, Semioticen, Therapiam generalem et ſpecialem, materiam medicam, Diaeteticam, hiſtoriam medicinae litterariam, methodum formulas medicas conſcribendi me docuit Vir Illuſtris* GRVNER *Diſſertationis Praeſes, cuius praelectionibus in Hippocratem et Celſum etiam interfui. Virum Excellentiſſimum* STARCKIVM *Pharmaciam, materiam medicam, artem obſtetriciam et morbos biblicos explicantem audiui. Denique etiam minime intermiſi, vt lingua gallica, anglica et italica imbuerer. Peracto ſtudiorum curſu*

anno

anno millesimo septingentesimo et octagesimo Berolinum me contuli, vbi Illustrem GLEDITSCH *botanicam medicam docentem audiui, et Viri Excellentissimi* WALTERI *praelectionibus artis obstetricandi, viri Excellentissimi* ACHARDI *praelectionibus chemiae experimentalis, Viri Excellentissimi* VOITI *et Viri Experientissimi* GOENNERI *praelectionibus chirurgicis interfui. Vt vero etiam theoriam artis obstetricandi ad praxin applicarem, omnem moui lapidem, in Nosocomio regio Berolinensi, quo etiam sub virorum excellentissimorum* SELLII *et* VOITI *adminiculo praxi medicae me dedi. Peracto dimidio anni spatio me ad hanc musarum sedem contuli et a Gratiosa Facultate Medica petii, vt summorum honorum in arte medica me redderet participem.*

Meis etiam sedulus interfuit lectionibus anatomicis et chirurgicis, meisque sub auspiciis cadauera humana dissecuit.

Hisce itaque variis scientiis, quae ingenium excolerent, egregie instructus Candidatus doctissimus ita sese exhibuit Facultati nostrae, vt communi suffragio ornaretur, ipsique aditus ad summos honores medicos aperiretur. Defendet igitur die XII Maii doctam suam dissertationem de *febre puerperarum* sub praesidio Ill. GRVNERI, Collegae nostri coniunctissimi, quo facto summi in arte salutari honores ipsi conferentur.

Cui igitur solemnitati vt MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, I. R. I. COMES ILLVSTRISSIMVS, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, VTRIVSQVE REIPVBLICAE

PRO-



Proceres, Commilitones Generosissimi atqve Praenobilissimi, et si qvi svpersvnt Mvsarvm Favtores beneuole adsint, ordinis mei nomine oro rogoque.

P. P. sub Sigillo Facultatis medicae. Ienae d. x Maii MDCCLXXXI.

